

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Disputationum Philosophicarum Secunda, continens Regulas IV. pertinentes ad doctrinam. Actionis et Agentis. Respondente publice Sebastiano Jacobo Kraußt Weidena Palatino

urn:nbn:de:bsz:31-102400

PARTIS SECUNDÆ
Disputationum Philosophicarum
 SECUNDÆ,
 continens
 REGULAS IV.
pertinentes ad doctrinam
 ACTIONIS ET AGENTIS.

RESPONDENTE

publicè

SEBASTIANO JACOBO Krauß
 Weidena - Palatino.

REGULA I.

Agerè præsupponit esse.

I.

Vel: *Quod non est, ei non competit aliqua operatio. Quod non est, quando non est, non producit aliquid ad esse, ait Scotus II. d. II. q. X. Pro confirmatione afferunt textum 37. L. II. Phys. & 3. L. V. Metaphys. ubi causa in actu, & effectus in actu, simul esse & non esse dicuntur.*

II. Verùm non possum diffiteri, de isthac probatione me dubitare. Loquitur enim Philosophus hisce textibus de actu, non quò causa & causatum, tanquàm res aliqua, sunt in rerum naturâ, sed quò, ut reverâ causa & effectus, sunt. Ut enim tanquàm res sumuntur, expressè ait, necesse non esse, ut simul sint, quòd non corrumpatur simul

do.

domus & ædificator. At in præsentî Regulâ sermo est de agente, ut de re quâdam. Sensus enim est: Si quid dicatur agere, id debere esse in rerum naturâ, non tantùm ut agens, sed secundum esse absolutum, sive ut est res, cui tribuitur denominatio agentis. Si cui ergò animus esset Regulam inficiari, respondere ad loca Aristotelis posset, ex iis tantùm id haberi, quod, cum aliquid actu agitur vel efficitur, necesse sit, eò ipsò aliquid esse actu, sive reyerâ agens, non autem quòd res, quæ agere vel efficere aliquid dicitur, debeat tunc esse: quemadmodum aliquid actu fungitur officio causæ finalis, & ut tale simul est cum eò; quòd aliquid dirigitur in finem, re ipsâ, quæ finis est, non existente: quod ostenditur exemplò sanitatis, quæ cum movet agrum ad sumenda medicamenta, non est, adeò, ut si tunc esset, causa finalis non esset.

III. Demonstrari autem potest inductione: Non urit ignis extinctus, neque antequàm extructus est. Non generant mortui, sed tantùm viventes &c. Et quod non est, ejus nulla sunt accidentia. Ergò nec operationes. Vide suprâ *Disp. I. Reg. IV.*

IV. Verum est, quod assertum fuit, res sustinere functionem causæ finalis, quando non sunt, & cujus rei causa est, quod ratio hujus functionis non consistit nisi in ratione metaphoricâ, importante denominatione extrinsecam ab appetitu.

36
tu. At causa efficiens vel agentis appellationem mereri nihil potest, nisi in rerum natura sit; cum agere & movere non sit denominatio extrinseca, ab appetitu vel intellectu, aut simili facultate, quæ circa non ens versetur. Quæ de supra *Reg. citat.*

V. Gravis est controversia inter ipsos Peripateticos de causa motus gravium & levium naturali. Plerique generanti eum adscribunt, & videtur expressè ea esse sententia Aristotelis *II. X. Phys. 1. 2. & IV. de Cæl. 1. 25.* Huic sententiæ Scotus *l. 1. & Gregorius diff. VI. q. 1. a. III.* opponunt argumentum à præsentī Regulâ desumptum, quod ita formari potest:

Quòcunque non existente contingit aliud moveri, ab illò non est ejus motus; quando agere & movere præsupponit esse.

Sed generante non existente contingit gravia & levia moveri; ut ignis genitus ab aliò igne movetur sursum, priore, à quò genitus est, extinctò.

Ergò à generante non moventur.

VI. Svarez *Disp. Met. XIX. f. VII.* explicat & distingvit sensum propositionis Majoris nostræque Regulæ. Dicit enim, accipiendam esse cum proportionè, ita scilicet, ut quod per seipsum agit, in seipsò existat; quod autem tantum agit per aliud, tanquam per instrumentum, tantum in instrumentò illò virtualiter existat. Afferit ergò gravia & levia moveri à generante non existente
in se

in se n
in gra
gravit
endun
princi
quàm

VI
aliqui
asserit
quod
non e
tùm,
quom
tuale
aliud
stat.

strum

II
exista
non t
stit, f
nihil
& pr
aliò
gere

IX
& X
vita
mot

in se nimirum, existente tamen semper virtualiter in gravi & levi, quibus formam, eaque mediante, gravitatem & levitatem dederit; indeque ei tribuendum esse motum, sed non aliter, quàm causæ principali in virtute gravitatis & levitatis, tanquàm instrumentorum suorum, agenti.

VII. Verùm Suarezio regerimus: Si ad hoc, ut aliquid agat, requiritur ut sit, quod ipse nobiscum asserit, sequitur, quicquid non est, non agere. Sed quod tantum virtualiter in instrumentò existit, non existit. Ergò nec agit. Minor probatur, tum, quia conceditur interiisse: at quod interiit, quomodo est? Tum, quia ipse aperte scribit, virtualem alicujus in instrumentò existentiam nihil aliud esse, quàm quòd instrumentum ipsum existat. Ergò illud, quod virtualiter tantum in instrumentò existit, non existit.

VIII. Vel ita: Si, ut aliquid agat, necesse est, ut existat, & verò aliquid in aliò tantum existere, est non ipsum existere, sed aliud, (si enim ipsum existit, falsum est, aliquid in aliò tantum existere, esse nihil aliud, quàm illud aliud existere; erit enim, & præter illud, ipsum quoque existere) etiam in aliò tantum agere, erit non ipsum, sed aliud agere.

IX. Neque diffitetur hæc Svaretz. *Disp. cit. n. 25. & XVII. n. 22.* n. expresse scribit, levitatem & gravitatem esse principium sufficiens ad efficiendum motum sursum & deorsum, neque, quando gravia

aut levita moventur, generans, quod in iis virtua-
liter existere, & per eas, tanquam instrumenta se-
parata agere dicitur, ullum influxum ad illū mo-
tum conferre. Quod si nullum influxum præ-
stat, certè neque agere dici potest.

X. Sanè nisi propria cædere vineta, & sua ipsius
principia evertere velit Suarez, negare non pote-
rit, levitatem & gravitatem esse causas principales
motus sursum & deorsum. Nam virtus agendi
instrumentalis, secundum ipsum *cit. Diss. XVII. n.*
18. est, quæ, cum sit minoris perfectionis, quam ad
producendum effectum requiritur, opus habet
aliò, quod cum eâ concurrat, & à quò elevetur.
At virtus levitatis & gravitatis sufficiens est, ut per
eam corpora sursum & deorsum ferantur, neque
ad id indiget aliquò, à quò evehatur: imò gene-
rans non concurrat ad eos. Quomodo igitur per
ejus concursum possunt elevari? Quæ omnia à
Suarezio conceduntur.

XI. Regeret autem, quòd dicantur instrumeta
generantis quoad istos motus, in alià id fieri si-
gnificatione, eà nimirum, quâ instrumentum di-
citur, quod locò alterius substituitur, ut actionem
consequatur.

XII. Verùm negamus, gravitatem & levitatem
esse corporibus concessas, ut vice ejus corpora in
sua loca naturalia promoveant, cum non conce-
damus, generantis esse, res à se genitas movere. Et
si vel maximè in locum generantis essent illæ qua-
lita-

litates
penitu
tur Re

XII

graviu
mus, p

Et. alla

Phys.

confli

mota,

genera

ad mo

facit, u

potent

ductu

lud est

re grav

rem au

vapori

est pot

v. g. au

genera

sum; s

conclu

tentò,

dimen

gente

XIV

cit.

lita-

litates subrogatæ, demonstratum tamen est, illud penitus non agere, eaque de causâ nihil derogaretur Regulæ, quâ dicimus: *Agere præsupponit esse.*

XIII. Quanquàm autem quæstionem de motu gravium & levium hîc de professô non tractemus, placet tamen ad authoritatem Aristotelis §. V. allatam respondere ex ipsô *cit. t. 32. L. II. Phyf.* Duplex ibi potentia ad motum, v. g. sursum constituitur. Una est in corpore gravi, & est remota; licet respectu corporis levis, quod ex gravi generari potest, & potentiam proximam habet ad motum sursum, & ipsa sit propinqua. Quod facit, ut corpus grave sursum feratur, hoc est, ut potentia illa remota, quæ est in corpore gravi, deducatur ad actum, qui est motus ad superiora, illud est generans ipsum, id scilicet, quod ex corpore gravi generat leve; ut ab igne, qui aquam in aërem aut vaporem convertit, est motus aëris aut vaporis sursum, sed tanquàm à causâ remotâ. Alia est potentia proxima, quæ est in corpore levi, aëre v. g. aut yapore, & hanc potentiam non tradûcit generans, ut ignis, ad actum, qui est motus sursum; sed si leve alicubi vi detineatur, quale est aër conclusus in utre sub aquâ ab impositô lapide detentô, ab eô est motus sursum, qui removet impedimentum, nempe lapidem; sed tanquàm ab agente per accidens.

XIV. Hæc est ipsissima doctrina Aristotelis *loc. cit.* Ex quâ patet, nihil Regulæ præsentis detra-

here, quod asserit, à generante esse motum. Non enim ita ab eò est, quasi generans, etiam postquam genuit, aut jam interiit, operetur & reverti moveat, sed eò modò tantùm, quò diximus, nempe quatenus ex corpore gravi generat leve, quod non facit, nisi quando verè in rerum naturà existit. Eadem doctrina habet locum in motu deorsum versus.

XV. Utuntur presenti Regulâ Nostrates pro asserendâ perseverantiâ peccati originalis post baptismum :

Quicquid non est, non operatur.

Peccatum originis post baptismum operatur, pravam nimirum concupiscentiam efficiendò, & rebellionem carnis adversus Spiritum.

E. post Baptismum etiam est.

Confer *Part. I. disp. IV. Reg. IV.*

XVI. Dicis: Per quam naturam Christus peperit illis, qui tempore Veteris Testamenti vixerunt, salutem & peccatorum veniam, illa natura debuit existere jam Veteris Testamenti tempore, quia quicquid agit aut patitur, esse debet eò tempore, quò agit aut patitur. Sed parere salutem licui est agere aliquid aut pati. At per carnem suam peperit Christus illis salutem & peccatorum veniam. E. caro Christi, vel Christus quoad carnem, debuit existere tempore Veteris Testamenti.

Conclusio cum falsa sit, minor autem vera, necesse est

se est, in datur R

XV

morte p

vixerunt

tanquam

ria id, q

est. A

aliud n

agit au

stuit, rev

stat, qu

spectu

est, ut t

tur, qu

contem

quæ à I

nam,

annor

sa mer

poster

garias

niz, q

exigit

quibu

positi

comp

jus, q

ctu op

se est

se est, majorem esse falsam, quæ tamen nostrâ fundatur Regulâ.

XVII: Respondeo: Christus suâ passione & morte peperit iis, qui ante ejus incarnationem, vixerunt, salutem & peccatorum remissionem, tanquàm causâ meritoria. At ut causâ meritoria id, quod meretur, agendò efficiat, necesse non est. Agit quidem aut patitur aliquid, per quod aliud meretur. Atqui etiam tum, quando reverâ agit aut patitur aliquid, in quò meriti ratio consistit, reverâ existit. Non autem necesse est, ut existat, quando existit id, quod meretur, vel cujus respectu causâ meritoria vocatur, quia non necesse est, ut tunc aliquid agat aut patiat, quò mereatur, quoniam aliud esse potest, quod id efficiat, contemplatione istius meriti. V. g. Est civitas, quæ à Rege vicino quandam accipit pecuniæ summam, eâ conditione, ut posteritas elapsò definitò annorum numero præset Regi angarias. Hic causâ meritoria pecuniæ majoribus suis tradita sunt, posteri, quos tunc vivere necesse est, quando angarias exhibent; tempore verò traditionis pecuniæ, quam olim merituri erant, existere, res non exigit, quò ipsi eam non tradant, sed Rex. Ex quibus perspicitur, majorem propositionem propositi argumenti esse negandam, neque Regulam comprehendere causam meritoriam respectu ejus, quod meretur; licet eam complectatur respectu operis, cujus peractione aliud meretur.

RE-

PARTIS SECUNDÆ
REGULA II.

*Omne agens est actu, patiens verò
potestate.*

I. Ex *Lib. III. Phys. t. 17. Lib. IX. t. 40. & Lib. II de an. t. 52. & 54.* Atqui inquis, id, quod agit, non minus est potestate, quàm actu; & quod patitur, non minus est actu, quàm potestate. E. non magis dicendum est, agens esse actu, quàm potestate; aut patiens esse potestate, quàm actu. *De recedens probatur: Infers manum frigore adustam in aquam calidam, ut ab eâ calefiat: aqua est agens, manus patiens. Illa enim calefacit, hæc calefit. At aqua non minus est potentiâ frigida, quàm actu calida; & manus non minus est actu frigida, quàm potentiâ calida.*

II. Responderetur: Verum est, idem esse actu & potestate; *ἀλλ' ἡ ἀψυδα, non simul;* ut aqua ex potestate modo hausta potestate calida est; paulò post, ubi igni apposita incaluerit, actu calida; *ἢ ἡ καὶ ἀψυδα, non secundum idem;* ut eadem aqua eodem tempore actu est frigida, potestate calida, aut actu calida, potestate frigida; & manus simul actu frigida est, potestate calida, & vice versa, *III. Phys. t. 17. & II. de generat. & corrupt. t. 58.* Fit ergò, ut agens non minus simul potestate sit, quàm actu, nec patiens minus actu, quàm potestate, *ἀλλ' ἡ καὶ ἀψυδα.*

III. Verùm id præsentis pronunciatio nihil obicit. Accipiendum enim id est cum particulâ reduplicativâ. Omne agens est actu, *quatenus est agens*

binne pa
Ita aqua,
calida &
frigida; p
aqua, act
rentiâ cal
gerat aqu
frigida e
frigida e

IV. Q
nis, qua
state & a
cundum
tingit ali
dem aqu

V. In
bus est ad
state quo
calefcere
state esse
tùm; qui
potentiâ
III. Phys
καὶ ἀψυδα
VI. E
καὶ ἀψυδα
men ejus
ctu & po
actu cali

binne patiens est potestate, *quatenus est patiens*. Ita aqua, quæ calefacit manum, est simul & actu calida & potestate frigida; manus autem tunc actu frigida, potestate calida est. Quatenus calefacit aqua, actu calida est; quatenus calefit manus, potentia calida est. Vicissim autem & manus refrigerat aquam. Quatenus manus refrigerat, actu frigida est; quatenus aqua refrigeratur, potentia frigida est.

IV. Quod simul illustre exemplum est reactionis, quæ in hoc ipso fundatur, quod idem est potestate & actu simul, sed ratione contrariorum. Secundum idem enim, siue ratione ejusdem, non contingit aliquid simul esse actu & potestate, sicut eadem aqua non est simul actu & potestate calida.

V. Inquis: Utique aqua calida quinque gradibus est actu calida, uti patet. Atqui eadem potestate quoque est calida. Potest enim ulterius incallescere; quod fieri non posset, nisi adhuc potestate esset calida, tum vi presentis nostri principii, tum; quia motus (calefactionis) est *actus entis in potentia (calidi) quatenus est potentia (calidum)* III. Phys. r. 6. Idem igitur est actu & potestate *καὶ ἄντῳ*.

VI. Respondetur, neque hic omnino seruari *καὶ ἄντῳ*. Etsi enim eadem est qualitas, diversi tamen ejus gradus sunt, quorum habitâ ratione & actu & potestate eadem aqua esse dicitur. Est enim actu calida ratione quinque graduum caloris, quos

obs

obtinere; potestate autem calida respectu sexti & sequentium graduum, quibus destituitur.

VII. Notandum autem porrò, particulam *quatenus* bifariam accipi: *reduplicativè* & *specificativè*, sicuti loquuntur. Reduplicativè sumitur, quando, ut volunt, indicat id, cui apponitur, esse causam, propter quam prædicatum subiecto infertur, ut cum dico: *Homo, quatenus homo, est disciplina capax*. Sensus enim est, naturam hominis esse causam, cur disciplinâ subigi possit. Specificativè verò, quando vox, cui apponitur, indicat partem, aut proprietatem, aliudve quid subiecti, secundum quod prædicatum ipsi conveniat, ut si dicam: *animal, quatenus oculos habet, videt*; *Christus, quatenus homo, passus est*. Sensus enim prioris est, cum plurimâ hominis partes sint, per oculos eum videre; Posterioris, quod, cum duabus Christus constet naturis, in humanâ passus sit. Et hoc modò sumitur *quatenus* in §. III. Hic enim est intellectus: Etsi fortassis utrumque, tum agens tum patiens, sit & actu & potestate; agens tamen esse actu secundum quod agit; patiens verò esse potestate, secundum quod patitur.

II. Notandum, non unò contingere modò, agens esse actu. Nonnunquam enim actu est per formam specie infimâ eandem cum formâ producendâ, sive illâ, cujus ratione patiens potestate esse dicitur; & tunc agens vocatur univocum. Hoc modò equus generans est

actu, quod
forma
mâ con
frigidu
rat in a
agens n
mâ gen
tur esse
virtute
que so
calefac
non n
quam

IX.
estate,
respec
agens
gente
est.

X.
obus
modu
dens,
tentiâ
ambig
V.Me

XI.
prim
quod

actu, quia & ipse cum equo generando, & sic etiam forma ejus cum forma equi generandi specie ultimâ convenit. Tale quoque est calidum agens in frigidum. Per calorem enim, quem habet, generat in aquâ frigidâ calorem similem. Non raro agens non habet formam specie eandem cum formâ generandâ, sive eâ, cujus respectu patiens dicitur esse potestate, sed est actu per aliam formam, virtute continentem formam generandam, ideoque solet dici agens æquivocum. Hoc patet Sol calefaciens hæc inferiora est actu. Est enim in eo non nisi virtus aliqua diversâ à calore naturæ, per quam eum efficere potest.

IX. Ex quò patet, cum patiens dicitur esse potestate, id asseri respectu termini producendi, non respectu agentis; quasi tale sit potestate, quale est agens actu. Hoc enim quanquam verum est, in agente nimirum univocò; perpetuum tamen non est.

X. Cæterum, ipsum etiam *agens* & *patiens* duobus modis dicuntur, actu & potestate, quemadmodum *videns*. Non enim is tantum dicitur videns, qui actu videt, sed & quodlibet, quod potentiam videndi instructum est, etsi dormiat. Eidem ambiguitati obnoxia sunt voces, *ens*, *sentire*, *scire*, *V. Met. Cap. VII. & II. de an. t. 52.*

XI. Sic ergò & agens & patiens cum dicatur, primò id, quod actu agit & patitur; secundò id, quod potentiam habet agendi & patiendi, non

tamen agit aut patitur, dicimus I. *Omne agens, siue sit actuale, siue potestate, est actu, quatenus est actu vel potestate agens; quoniam ut agat, aut agere possit, et si fortasse non agat, debet habere aliquem actum siue formam, per quam agat, aut saltem agere possit.*

XII. Quò pertinet, quod Aristoteles III. *Phys.* s. 17. docet: *Id quod movet, semper aliquam affert formam, aut hanc (substantialem) aut ralem (qualitatem) aut rksam (quantitatem) quia est principium & causa motus, quando movet; ut is, qui actu homo est, facit hominem ex eò, quod potestate est homo.*

XIII. Dicimus II. *Omne patiens potestate, est potestate, quatenus est potestate patiens.* Ita patet de manu frigidâ, quæ potestate est patiens, calefit ens scilicet, antequàm calefit; estque tunc potestate, calida nimirum, & quidem secundum quod est potestate patiens.

XIV. Quantum autem ad id, quod patiens actu est, distinctione arbitramur esse utendum. Aliud enim videtur iudicandum de eò in mutatione instantaneâ, quam vocant, aliud in mutatione successivâ. Dicimus ergò III. *Quicquid actu patitur vel movetur motu successivò, quatenus sic movetur, est potestate; quia, quod hòc modò movetur, secundum quod sic movetur, & quamdiu movetur, licet ex parte sit sub formâ siue terminò ad quem, ex parte tamen eò caret. Quâ parte igitur eò caret, eâ est in potentiâ ad ipsum.* XV.

one infla
itur.

tur ex pa
tota sim
autem a
plius est
est, non l

quia nih
state, u
stantiam
gidus.

est Anto
III. dist
ratione
è potèn
tanea ef
forman
sit, neq
ratione
am in a
ipf

XV. Dicimus IV. *Qua actu patitur in materia
sine instantanea, non est potestate, quatenus actu pa-*
titur. Ratio est, quod in eâ forma non acquiri-
tur ex parte, & ex parte superest acquirenda, sed
tota simul adest, dum patiens patitur. Quicquid
autem aliquam formam totam habet, id non am-
plius est in potestate ad eam, quia potestate esse
est, non habere aliquid, cum habere possit.

XVI. Diximus autem *quatenus actu patitur,*
quia nihil obstat, quò minus aliâ ratione sit pote-
state, ut in ipsò momento, quò aqua quoad sub-
stantiam mutatur in aërem, aër est potestate fri-
gidus.

XVII. Quanquam & hîc nonnullis, inter quos
est *Antonius Ruvio III. Phys. Tract. de motu, quest.*
III. distingvere visum est. Dicunt enim, in gene-
ratione substantiali, eò ipsò quoque, quò forma
è potentia materiæ educitur, quæ mutatio instan-
tanea est, materiam sive patiens esse in potentia ad
formam. Licet enim forma in instanti tota ad-
sit, neque temporis prioritas intercedat inter mu-
tationem & formam; per eam tamen ita materi-
am in actu constitui ajunt, ut naturâ prius sit
ipsam mutari, & esse in potentia ad for-
mam, quam formam
habere.

*Omnia quodammodo ex univocò
fiunt.*

I. Ex VII. Met. c. IX. t. 30. Atqui, inquis, eò locò Græcus textus ita habet; *θεῖον τινα ἀπαντα γίνεται ἐξ ὁμωνύμων*, quod est: *omnia fieri quodammodo ex equivocis.*

II. Verùm sciendum, vocem *ὁμωνύμων* hîc commendam esse pro voce *συωνύμων*, id quod ex ipsa tractatione sive scopò Aristotelis facile est ostendere.

III. Statuebat Plato, universalia esse res extrinsecas hæc sensibilia constitutas, easque perpetuas; tum propter alias causas, tum ut essent exemplaria, quorum imitatione, vel, ut ipse loquebatur, participatione res singulæ generarentur; v. g. speciem humanam esse substantiam separatam à singulis hominibus, æternam, quam vocabat *ἀπαντα θεῖον*, cujus participatione omnia individua humana essent homines & ejusdem speciei.

IV. Hanc doctrinam *locò cit.* impugnans Aristoteles, demonstrat, non opus esse universalibus illis Platonicis ad hoc, ut sint exemplaria in generatione rerum; quandoquidem ut res talis vel talis naturæ sit, ad hoc sufficere ipsum generans, idque in quibusdam evidens esse. Generat enim tale, quale est ipsum, & sic idem specie, ut homo hominem, equus equum, &c. quod certè est dice-

re, quæda
se. Unde
tiis separ
Postmod
bium tra
cesse est,
enim dix
tum spec
nivoca il
in omni
mit, an
ὁμωνύμων
ita habe
essent di
venient
busdam
natura
preced.
quæque
ea, quæ
cupatur
bii. U
genitum
μῶν
neretur
ret, &
enim,
men p

re, quædam ab univocò generari, perspicuum esse. Unde infert, nihil opus esse ideis sive substantiis separatis, quarum imitatione res generentur. Postmodum autem *Cap seq. IX* inter alia hoc dubium tractat, an omnia fiant ἐξ ὁμωνύμων? Libi necesse est, hoc nomen pro συνωνύμοις accipi. Quia enim dixerat, in nonnullis perspicuum esse, genitum specie cum generante convenire, quod est, univoca illa esse, dissolvit ipse dubium, num ergò in omnibus ita habeat, quod hisce verbis exprimit, an omnia ἐξ ὁμωνύμων generentur? Ubi si ὁμώνυμα sumerentur, ut συνωνύμοις opponuntur, ita haberet dubiũ illud, an omnia fiant ab iis, quæ essent diversæ naturæ & speciei? Quod inconvenientissimum esset, cum jam docuerit, in quibusdam esse perspicuum, ea fieri à rebus ejusdem naturæ sive speciei, & potius everteret ea, quæ *preced. Cap. 1. 28.* contra Platonem disputarat, quæque asserit etiam *seq. 1. 31.* Nam & ibi docet, ea, quæ fiunt, fieri quodammodo ab univocò. occupatus adhuc in expositione modo propositi dubii. Utitur autem & hic voce ὁμώνυμος, asserens, genitum, & id, à quò semen proficiscitur, esse ὁμώνυμον. Quod falsum esse, si ὁμώνυμον opponeretur συνωνύμοις, & non potius idem significaret, & per se constat, & ex textu evidens est. Illum enim, qui ex semine generatur, & eum, à quò semen profusum est, univoca esse, quatenus uterque

homo est, nemo negaverit, qui significationem
vocum non ignorat.

V. Quin Bessarion hisce locis *ουάνων* verit
univocum, quod & in posteriori Alexandri Inter
pres facit, qui & ipse in priori exponit per id
quod est ejusdem nominis rationis que, quem Peri
nius quoque secutus est. Apud Averroem quo
que exponitur per *univocum, conveniens in nomi
ne & ratione, conveniens secundum formam, per
simile in specie*. Sed nec alibi in libris Primæ Phi
losophiæ est inusitatum, vocem *ουάνων* ista
significatione usurpari, ut vel ex *Lib. I. c. VI. t. 6. &
c. VII. t. 26.* perspicere est.

VI. Conferendus etiam præfens textus est cum
textu 13. Lib. XII. Metaph. ubi dicitur. *ὅτι ἐκ ἀνάγκης
ἑκάστου τῶν ζώων ἑστὶν ἑνὴ οὐσία, ἡν ἑκάστη ἐκ τῶν
ἐκ τοῦ ἑνὸς φέρει.*

VII. Verum ad pronunciatum Aristotelicum
labefactandum multa sunt, quæ ipsarum rerum
natura suppeditat. Nam I. Fœmina generatur
ex virô. II. Mulus ex equô. III. Domus, cal
ceus, &c. ab artifice fiunt. IV. Ex materiâ putre
scente à Sole generantur animalcula. V. Calor
non tantum à calore generatur, sed & per radios
Solares & per motum. VI. Per eosdem radios, ut
& ex collisione ignis cum silice generatur ignis.
VII. In primâ creatione res omnes factæ sunt à
Deo. In hisce autem omnibus agens, vel id, à
quô aliquid generatur vel productum est, non est
se univocum

se univocum
non est ej
causa est,
Omnes ex
faciunt g
quæ disti
nivocô fi

IX. T
phus, XII
nibus sen
ad agens
ferræ, au
similis sit
similes et
te ejus, q
candum
tam, ut f
miles rec
animali
nivocô i

IX. T
adhibui
esse inte
est, non
rores fia
virtute
cendis p
materiâ

X. A

se univ

se univocum cum re factâ, in apriçò est, quia non est ejusdem speciei aut naturæ. At univoca causa est, quæ specie cum effectu convenit. VIII. Omnes expositores & Græci & Latini, duplicem faciunt generationem, univocam & æquivocam; quæ distinctio nulla esset, si omne, quod fit, ex univocò fieret.

IX. Themistius, ut referunt Augustinus Niphus, XII. *Metaph. disp. III.* & alii, tribus conditionibus sensum Regulæ coërcet. Primò enim eum ad agens restringit primarium. Unde ut sectio ferræ, aut dolor ex fuste tergo impactò ortus fusti similis sit, necesse non est; sed sufficit, hos effectus similes esse conceptui doloris & sectionis in mente ejus, qui lorò ad verberandum, aut ferrâ ad secandum utitur. Secundò excipit causam remotam, ut sic non requiratur, res primo principio similes reddi. Tertiò, agens per accidens, propter animalia ex putri materiâ genita. Hæc enim ab univocò non generantur.

IX. Testantur iidem, Alexandrum triplicem adhibuisse expositionem. Prima est, Regulam esse intelligendam de iis, quæ verè generantur, id est, non casu aut fortunâ; cum hæc tanquam errores fiant; deinde de univocatione in formâ vel virtute (quæ verba quid sibi velint, ex inferiùs dicendis perspicietur) & sic animalia genita ex putri materiâ ex simili fieri, saltem virtute.

X. Alia expositio est, esse accipiendam de iis,

DD 3

qua

PARTIS SECUNDÆ

quæ verè generantur, propter animalia ex putrefactione genita & casu facta, & de univocatione in specie specialissimâ vel subalternâ, propter generationem muli ex equo, quâ de re etiam paulo post.

XI. Denique docet Alexander, propositionem in universum omnia complecti, dummodò similitudo spectetur quoad genus, quatenus, si est naturalis, quæ fit, fit ab univocò, quia fit à natura; si est artificialis, fit ab univocò, quia fit ab arte; similiter si est casuale, quia proficiscitur à casu.

XII. Nos, ut rem ipsam explicemus, & argumenta superius in contrarium adducta diluamus, notari volumus, agens univocum, inter quodam mirum & rem productam est similitudo, his fariis dici: Primò absolute, quando specie infimâ conveniunt agens & effectum, sicut patet, cum homo hominem, ignis ignem generat, aut dum ignis quam facit calidam. Etsi enim ignis & caliditas quod ab eò efficitur, non sit penitus ejusdem speciei, cum non efficiatur ignis, tamen forma, per quam ignis calefacit, est ejusdem speciei cum calore, quem producit in aquâ, & per quem aqua formaliter facit calidam, cum & illa sit calor.

XIII. Secundò, secundum quid; idque iterum non unò modò. Primò enim dicitur agens univocum, quod effectus ipsi ratione generis sit similis: quò modò dicendum, mulum ab equo, aut univocò generari. Quanquam enim specie d

ferunt;
quod A
at; alii
XIV.

Interpre
ra, atque
pluribus
gorum,
videre e
& Augu
q. XII.
XV.

id, quod
utrumq
cit aut
fit, qua
tantum

XVI
I. de ge
Gignit
aliò, al
neris a
mo, au

XVI
institu
si cont
conver
men in
non fi

ferm

ferunt, similes tamen in genere proximò sunt, quod Aristoteles VII. Met. t. 28. carere nomine ait; alii *jumentum* esse dicunt.

XIV. Hunc univocationis modum extendunt Interpretes ad remotiora, imò ipsa summa genera, atque adeò nonnulli ad ens, quod analogicè pluribus est commune, latè acceptà voce analogorum, ut *τὴν πρὸς ἐν* quoque complectitur, sicut videre est apud Soncinatem XII. Metaph. q. XIV. & Augustinum Niphum l.c. Javellum VII. Metaph. q. XII.

XV. Nec illud prætereundum putamus, quod id, quod fit, & id, à quò fit, similia sint in eò, quod utrumque est actu. Sicut enim quod aliquid facit aut generat, actu esse debet: ita id, quod ab eò fit, quando factum est, actu est, cum antea esset, tantum potentià, sicuti constat ex Reg. II.

XVI. Insignis pro hac glossà extat textus Lib. I. de generat. & corrupt. scilicet, qui numero est 30. *Gignitur igitur absolute*, ait Philosophus, *aliud ex alio, atq; ab aliquò actu existente, quod ejus sit generis aut speciei, ut ignis ab igne, aut ab homine homo, aut ab actu: durum enim à non durò fit.*

XVII. Quorum verborum, quod ad nostrum institutum attinet, sensus hic esse videtur: quòd si contingat, ut id, quod fit, & id, à quò fit, non convenient specie, aut genere; convenient tamen in eò, quòd utrumque fit actu, sicut durum, non fit à durò, sed à frigidò, cui simile in eò est, quòd

quòd utrumque fit actu ; sicut durum non fit à durò, sed à frigidò, cui simile in eò est, quòd utrumque fit aliquid actu. Ut enim hoc actu frigidum est : ita durum ab eò habet, quòd actu durum sit.

XIIX. Animalcula à Sole generari, videmus hodiè nonnullis pro figmentò esse. Sed posibile aut concessò, id ita se habere, generatio illa quodammodò univoca dici poterit, quatenus animalcula & Sol conveniunt in naturà corporeà, & fit substantia corporea à substantià corporeà generatur. Quò referri potest calor per radios Solares aut motum genitus. Sunt enim hæc omnia similia in eò, quòd in subjecto sint, quà ratione omnia accidentia univoca quodammodò dici possunt.

XIX. Imò similitudo & qualiscunque illa univocatio in ratione entis, de quà §. XIV. sicut & in eò, quòd nos §. XV. & seqq. ex Aristotele adduximus, univocalis est, & nunquam non inter effectum & causam efficientem, vel id, quòd fit, & illud, à quò fit, intercedit, atque ita sub eà omnia illa, de quibus in septem prioribus argumentis sermo erat, comprehenduntur.

XX. Aliò modò dicitur univocum, quando inter formam, per quam operatur aliquid, & inter formam productam, similitudo quædam intercedit ; modus tamen essendi minimè idem est : quomodo rerum artefactarum causa univoca est artifex. Efficit enim ædificator domum secundum

cop

conceptum
qui conce
fruitur.
animò suò
tam ; ingen
enim dom
gnis & lap
stabilatur
ptus. Qu
Met. t. 23.
èz oinias, n
quodam
teria expe
& de fami
omnium,
bent, ead

XXI. F
sta sensu
les qualita
rem, sed
& III. de
divòs ne
dammodo
aliquid ex
ristoteler
runt.

XXII.
dammod
quatenus

conceptum, quem de eâ in mente suâ formavit, qui conceptus similis est formæ domus, quæ exstruitur. Qualem enim structuram efficit, talem animò suò jam ante habet dimensam & exadificatam; ingens tamen intervenit discrimen. Forma enim domus extra mentem est materialis, in lignis & lapidibus consistens; at ea, quæ in mente stabulatur, est sine materiâ, cum nudus sit conceptus. Quâ de re pulchrè disputat Aristoteles VII. Met. t. 23. ubi dicit; *τρόπον τινὰ τὴν οἰκίαν γίνεσθαι ἐξ οἰκίας, τῆς ἀνθρώπου τὴν ἐχρῶσαν ὕλην, domum quodammodo fieri ex domo, ex eâ scilicet, quæ materie expers est, eam, quæ materiam habet.* Quod & de sanitate à Medicò restitutâ affirmat: imò omnium, quæ arti aut menti suam originem debent, eadem est ratio.

XXI. Referre huc non dubitamus, quòd objecta sensuum in αἰσθητήρια agunt, & in illis similes qualitates producunt, ut color in oculo colorem, sed ἀνθρώπου ὕλης, immaterialem, II. de an. t. 121. & III. de an. t. 138. ubi propterea dicitur *τὸ ὁρῶν θῆν ὡς κερρωμάτηςαι, id quod videt, colore quodammodo delibutum est.* Hi tres modi, quibus aliquid ex univocò fieri dicitur, expressè apud Aristotelem cit. Lib. VII. Metaph. t. 30. & 31. occurrunt.

XXII. Addunt & quartum, quando causa quodammodo similis effectui dicitur ratione virtutis, quatenus in causâ est virtus producendî effectum:

quomodo calor in corpore effectus à motu con-
fricationis, dicendus est fieri ab univocò, quia in
motu ab Aristotele dicitur esse calor; quod non
verum est formaliter, sed virtutis ratione.

XXIII. Et ad hunc modum, quem & ipse Ari-
stoteles posuisse videtur, potius quàm ad securum
dum, similitudinem, quam agens & effectum esse
in aliquò communi analogò, ut in ratione entis
de quâ in præcedentibus, participant, cum Tho-
mâ *p. l. q. IV. z. III.* referendam putamus.

XXIV. Id quoque notandum, expressè Ari-
stotelem protestari, de iis sibi sermonem non esse
quæ fiunt per accidens. Non mirum igitur, de-
mum v. g. alicui esse molestam, licet is, qui eam
extruxit, minimè fuerit molestus, quod exem-
plum est Alexandri ex *c. II. Lib. VI. Metaphys.* de-
sumtum.

XXV. Atque ex hisce quidem ita expositis en-
dentissimum est, non omnia fieri ab univocò sim-
pliciter, primò videlicet modò, idque satis de-
monstrant omnia argumenta §. VII. proposita.

XXVI. Verissimum tamen est, omnia, quæ ge-
nerantur ex semine, fieri illò modò ab univocò.
enim à quò semen proficiscitur, est simpliciter
univocum; nisi tamen adsit aliqua læsio. Quæ con-
clusio est Averrois *cit. t. 30. Lib. VII. Metaph.* im-
videtur ipsius sibi esse Aristotelis, idque patet in
ductione. Generatur enim homo ab homine,
equus ex equò, sceniculum è sceniculò, &c.

XXVII

XXVI

¶ sola hæc
ignis ab ig-
rans & ge-
est.

XXVII

Quia si la-
cità univo-
virò. F

¶ Av Ar-
& Galen-
andem qu-

XXVIII

tur ex un-
dum qui
ferè con-

XXX

detur, e-
cò prim-
malia sp-

essentiã
taph. t.

XXXI

it gener-
modò &
neratio-

quòd fa-
substan-
specie

XXVII. Quanquam sanè non id volumus, quæ sola hæc istò modò ab univocò fiant. Nam & ignis ab igne, calor à calore generatur. Ubi generans & genitum prorsus univoca esse, manifestum est.

XXVIII. Additur ἐὰν μὴ πηρώμα ἦ, nisi sit læsio: Quia si læsio sit, receditur ab omnimodà & perfectà univocatione. Generatur enim fœmina ex virò. Fœmina autem est ἀσπερ ἄρρεν πεττωρωμένον Aristoteli II. de generat. animal. c. III. ut & Galeno L. XIV. de usu part. c. VI. & VII. ob eandemque causam & equus mulum generat.

XXIX. Alia autem omnia, quæ non generantur ex univocò absolute, fieri ex univocò secundùm quid, sive aliis modis superiùs explicatis, satis ferè constat ex dictis,

XXX. Ad primum argumentum §. VII. respondetur, ex mare fœminam fieri tanquàm ex univocò primò modò. Sunt enim mas & fœmina animalia specie infima convenientia, differentia non essentià, sed materià & corporis qualitate, X. Metaph. 1. 25.

XXXI. Dicitur: Supra §. XXVIII. non habita fuit generatio fœminæ ex virò pro univocà primò modò & simpliciter. Respondetur: Est ista generatio simpliciter univoca, si respiciatur ad hoc, quòd fœmina & vir conveniunt in specie ultimà substantiæ. At si habeatur ratio sexus, in quò specie differunt, sic non sunt dictò modò univoca, &

PARTIS SECUNDÆ

58
& hoc supra cum Aristotele spectavimus. Videtur autem potius Aristoteles à simpliciter univocis exclusisse foeminam respectu viri, quia foemina n. foemina, & vir ut vir non sunt univoca, quoniam, hæ voces sexum exprimunt.

XXXII. Secundum, tertium, quartum, & quintum diluta sunt §. XIII. & seqq. Ad sextum: Quartum ad ignem ex collisione ferri & silicis genitum, respondent Augustinus Niphus XII. Met. disp. III. & alii, cum primario generari ex ferro & lapide. Pari ratione dicunt ignem ex radiis Solaribus genitum principale agens agnoscere Solem. Ignis autem, ferrum, silex & Sol, univoca sunt in ratione generis, quod est substantia corporea; item in eò, quòd omnia sunt actu.

XXXIII. Franciscus Suarez disp. Met. XIII. II. disputat, in generatione ignis ex motu, vel etiam per radios Solares, aut animalium, quorum generatio & ipsa Soli tribuitur, vicem causæ particularis supplere authorem naturæ, quem quatenus est ens, esse efficiens creaturarum quodammodo univocam, supra jam fuit assertum. Quod si admittitur, dicamus, potius in ratione substantiæ, & quod est actu, esse causam univocam. Quod ipsò etiam responsum est ad argumentum septimum.

XXXIV. Non ineptè tamen quis hinc disputaverit, & aliam rationem univocationis hinc posse assignari. Nempe ut res ab artifice fiunt, tanquam

ab agente
agit, quem
L. VII. Met.
fecerat ante
artificis aut
amiratur eff
divinà statu
à Deo facie
vocationis
expositione
fecisse men
tes Magistr
Part. I. q. 4.

XXXV.
responden
fuerunt, in
sensu effatu
rationis in
nim in eà g
generans d

Qua n

ab agente univocò, & omninò ab eò, quod mente
 agit, quemadmodum quidem Aristoteles *cit. l. 30.*
L. VII. Metaph. mentem arti conjungit, quod &
 fecerat antea *in fine textus 22.* quatenus in mente
 artificis aut alterius agentis est conceptus, quem
 imiratur effectus, quæ dicitur idea: sic & in mente
 divinâ statuuntur ideae, quibus representantur res
 à Deo faciendæ, ita ut hæc applicanda sit ratio uni-
 vocationis §. XX. exposita. Et miror, hujus rei in
 expositione istius propositionis Authores nullam
 fecisse mentionem. De ideis divinis vide Interpre-
 tes Magistri sententiarum *in I. D. XXXVI. Thomam*
Part. 1. q. XV. & ibi ejus discipulos.

XXXV. Ad octavum & ultimum quoque quid
 respondendum sit, ex iis, quæ exposita hactenus
 fuerunt, in expeditò est. Minimè enim tollit præ-
 sens effectum Aristotelis distinctionem illam gene-
 rationis in univocam & æquivocam. Dicitur e-
 nim in eâ generatio univoca illa tantum, quando
 generans & genitum sunt univoca primò modò.

Quâ ratione multas generationes uni-
 vocas non esse, in propatu-
 lô est.

*Agentium partialium quodlibet per se potest
producere effectum, aut partem effectus,
ad quem concurrunt.*

I. Manifestum hoc est inductione. Nam duo equi eundem trahunt currum, tanquam agentia partialia, quem uterque sine altero traheret; aut si onustus nimium sit, pars tamen aliqua istius motus cuiuslibet per se respondet. Sic & à duobus ignibus calefit idem hypocaustum, quorum uterque sine altero ipsum calefaceret, etsi remissius; & quando conjunctim calefaciunt, cuiuslibet ex parte calefactio debetur. Eadem ratio est duarum candidellarum unum conclave illuminantium.

II. Docent Scholastici Doctores contra Durandum, intellectum creatum non posse clarè Deum videre, nisi concurrente auxiliò supernaturali quod intellectum juvet, & quasi elevet supra suas vires, idque vocant lumen gloriæ.

III. Durandus *IV. D. XLIX. q. II.* huic sententiæ hoc etiam opponit argumentum: Si lumen gloriæ juvat intellectum ad videndum Deum, id facit, aut quia intendendò auget vim naturalem intellectus, aut concurrendò cum illò ad modum partialis agentis, quemadmodum duo se invicem juvant in trahendâ navi. Sed neutro modò eum juvat. Non priori modò, quia intellectus, cum proprietas animæ, intendi aut remitti nequit. Non posteriori, quia, quando duo agentia partialia

concurrunt per se, effectum illum non producit solò lumen, sed licet clara dunt de se sunt habent.

IV. Nunc non volumus lucidant.

V. A se Vazq cano *Pa* tia parti liquid ag num alt sa ratio lamus su inter qu

ject. & em ab o actum s ratione actus vi cti jam hóc ob di causi dò illa,

ca

concurrunt ad eundem effectum, utrumque eorum per se potest illum producere, aut partem saltem illius, sicut ostendimus nos §. I. Sed neque à solò lumine gloriæ, neque à solò intellectu potest elici clara Dei visio, aut aliquid ejus, quod concedunt defensores sententiæ §. II. propositæ. Ergò non sunt habenda pro duobus agentibus partialibus.

IV. Nos, sicut ipsam controversiam non facimus nostram; ita argumentum Durandi adducere volumus, ut esset occasio sententiæ Regulæ elucidandi.

V. Afferimus igitur ex Scholasticis, ut Gabriele Vatzquetz in *Thom. P. I. Diss. XLIII. c. IIX. Beccano Part. I. Theol. Schol. Tr. I. c. IX. q. III.* agentia partialia dici bifariam: primò ea, quæ ita ad aliquid agendum aut efficiendum conspirant, ut unum alteri subordinetur, aut etiam utrique diversa ratio in effectu respondeat; quales manus & calamus sunt in scribendo. Hòc modò etiam sunt, inter quos Anton. Ruvio *II. de animâ tract. de object. & spec. sens. q. II.* qui docent, sensum & speciem ab objectò ipsi impressam esse causas parciales actum sentiendi efficientes, sed ita, ut utriq; diversa rationes in eò respondeant. Quòd enim visio est actus vitalis, à visu habet; quòd autem hujus objecti jam est, & non alterius, id à specie visibili ab hòc objectò impressâ nanciscitur. Et de hujusmodi causis partialibus Regula non loquitur. Secundò illa, quæ ita se habent, ut unum alteri non subordi-

ordi.

Ordinetur, eademque ratio in effectu aut motu
 trique respondeat, cujusmodi agentia partialia
 sunt ea, de quibus §. I. Unus enim equus in tra-
 hendō curru alteri non subordinatur, cum unus
 fortasse possit eum trahere solus; aut si hoc neque-
 at, id tamen, quod istius motus uni equo debetur,
 non est diversæ rationis ab eō, quod debetur alteri.
 Idem asserendum de duobus ignibus in calefaci-
 endō, ut & de duobus cereis in illuminandō vel
 hypocaustō. Illorum enim calefacit, horum il-
 luminat alter sine alterō. Non igitur unus alteri
 subordinatur, aut ab alterō dependet. Eiusdem
 quoque rationis est id, quod illorum ad calefaci-
 endum, horum ad illuminandum uterque confert.
 Et de agentibus partialibus hōc modō acceptis se-
 mo est in præsentī Regulā.

VI. Argumentum §. III. quod attinet; probe-
 tur eō, intellectum & lumen gloriæ non esse cau-
 sas partiales posteriori modō. Priori significan-
 sumtas non excludit. In clarā visione Dei intel-
 lectus & lumen gloriæ subordinantur; cumque
 visio illa duo habeat, quod actus & vitalis sit & su-
 pernaturalis; prius ab intellectu ipsi imperitur,
 posterius à lumine.

VII. Negandā autem est consequentia in pro-
 positione, cujus posterioris membri probatio cau-
 sas partiales posteriori modō acceptas removet.
 Fit autem, ut duo agentia ad eundem effectum con-
 grediantur, ut tamen neutrum alterius virtutem

naturale
 tanquam
 sum

naturalem intensivè, ut loquuntur, augeat, aut
 tanquàm agens parziale posteriori significatione
 sumtum concurrat; cùm possint esse
 agentia partialia priori
 modò.

